EXERCITATIO IVRIDICA

DE

DELICTIS PVBLICIS ET QVIDEM DE ILLIS QVÆ VOCANTVR CARNIS.

QVAM

DIVINO NVMINE CLEMENTER ANNVENTE,

SUB PRAESIDIO

AMPLISSIMI ET CONSVLTISSIMI

VIRI

DN. HENRICI BINNII I.V.D.

Institution. Imperialium & Juris Criminalis Professoris Ordinarij, nec non Dicasterij Guelpherbytani Assessoris &c. Dn. Præceptoris Hospitis & Fautoris sui æternùm devenerandi.

Publico Eruditorum examini subjicit

HENRICUS Schade HALBERSTAD.

DARSHEIMENSIS Auth. & Resp.

IN MAIORI NOVI IVLEI AVDITORIO

Ad diem XXXI Martij



HELMESTADI

Ex officina HENNINGI MVLLERI acad. typ.


Anno CIƆ IƆC LV.



ΣΥΝ ΘΕΩι.

DISPVTATIONIS DE DELICTIS PVBLICIS ET QVIDEM DE ILLIS QVÆ DICVNTVR CARNIS.

Thesis I.



Mnis generis vitia (proh dolor) in hac ultimâ mundi fece magno agmine irrupisse & indies crescere, nemo est, qui nesciat; præsertim cum illud quotidiana testetur experientia. Inter quæ delicta carnis, uti vocantur, principem ferè locum obtinent, ita quidem, ut à non paucis hominibus pro nullo prorsus crimine habeantur. Frequentiâ igitur & gravitate hujus materiæ commotus eam aliquot thesibus comprehensam, quantum vires ingenij mei ferunt, Duce Iehovâ, evolvere animum induxi. Vt autem eò clarius elucescat, quid sint delicta carnis, quoque ordine inter delicta recenseantur, pauca prius de delictis in genere præmittam. Delictorũ frequentia & maximè eorum quæ carnis vocantur.

II. Delictum variè à Dd. definitur. Nos retinebimus definitionem Amplissimi atq; Consultiss. Dn. D. Henrici Hahn, quam *in not. ad VVesenbec. tit. de privat. delict. num.* 3. habet: ubi dicit, quòd delictum sit turpe factum contra leges Reipubl. vel quo nocendo alteri, aut alijs modis, contra leges Reipubl. agitur. Cujus definitionis verba, quando per se sunt plana, explanationem aliquam hic addere, otiosum foret. Delicti definitio.

 III. Que-

Delictorũ præcipua divisio.

III. Quemadmodum autem variæ delictorum definitiones, ita etiam eorundem variæ divisiones atque subdivisiones à Dd. traduntur. Præcipua autem (ut alias silentio præteream) est, quâ dividuntur in publica & privata *l. 1. §. generaliter. 3. ff. d. pœn.* Item *rubr. tit. de publ. Iudic. & tit. d. delict. privat.* Publica delicta ratione originis & causæ efficientis sunt, quæ ex legibus publicorum judiciorum veniunt. *l. 1 ff. d. publ. Iudic.* vel quæ lex ipsa facit publica.

Publicorũ delictorum quædam subdivisio.

IV. Publica delicta subdividuntur in Carnis & Non-carnis. De prioris membri delictis quoniam hic acturus sum, ut supra dictum fuit, statim me ad illa conferam.

Procreandi appetit9 naturâ insitus.

V. Omni autem animalium generi procreandi appetitum, speciemque sui conservandi à natura insitum esse, testantur passim philosophi. Evidentissima sunt verba Aristotelis *1. Politic. cap. 1.* ibi: *Necesse igitur est primum conjungi eos, quorum alter sine altero esse nequeat, ut fœminam quidem & marem procreandi causa, idq; non consilio, seu voluntate, sed ut in aliis animantibus & stirpibus naturale est; cupere sui simile alterum relinquere. vid. Cic. lib. 1. offic. in princip.*

Quomodo ratione temperandus procreandi appetitus.

VI. Illa autem naturalis procreandi libido, quæ hominibus non propria, sed cum brutis communis est, in ijs sequitur ductum solius naturæ; homo autem, si in actum gestit deducere, debet istam ratione temperare, aliàs inter hominem & brutum nulla esset differentia, Aristot. *lib. 5. Ethic. cap. 10.* Societatem enim conjugalem promiscuè brutorum more, cum quibuslibet inire perfectioni hominis haudquaquam conveniet, quemadmodum Clariss. Dn. Iohannes Eichelius in *Commentar. ad Regul. Iur. cap. 4. num. 2.* loquitur.

Temperatio illa quomodo fit.

VII. Temperatio autem ista nullo commodiori medio institui potest, quàm si per vinculum matrimoniale unius viri atque fœminæ fiat conjunctio: idque ratione

educa-

educationis, secundum quam homo etiam maximè differt à bruto. Si enim pro lubitu coirent homines & procrearent liberos, quomodo illi ad virtutem & pietatem educarentur? cùm tamen notum sit, quòd homo tum demum agat ea quæ hominis sunt, quando de illis, quæ ad necessariam animi culturam pertinent, est sollicitus. Etsi finis conjugij tantum esset generatio prolis (sunt verba Clariss. Dn. Eichelij) neque simul etiam vera educatio, sane idem esset, ac si homines non generarentur. Rationem statim addit his verbis: aut enim parvuli neglecti interirent, aut si adolescerent sine vera educatione, longè melius & utilius Reipubl. esset, nunquam esse genitos.

IIX. Regula igitur sit: Quicunque extra legitimum matrimonium aut sobolis procreandæ, aut solius libidinis indulgendæ causa rem cum muliere habet, is committit delictum carnis. Talis enim conjunctio à recta ratione deflectit, & per consequens degenerat in turpitudinem. Regula procreand. Sobol.

IX. Cùm igitur Iurisprudentia non modò justi, verùm etiam injusti scientia sit *l. 10. §. 2. ff. d. Iust. & Iur. & §. 1. Instit. eod.* Turpitudo autem talis ad hanc posteriorem injusti partem referri queat; de hac quoque materia nimirum de delictis Carnis in Iure nostro rectè agitur.

X. Definitur autem delictum carnis, quòd sit concubitus contra leges & extra matrimonium factus, vulgò Fleischliche Unzucht oder Mißhandelung. Definitur delictum Carn.

XI. Loco generis possuimus vocabulum *concubitus*, quod genus omnibus delictis carnis strictè ita acceptis competit. Ad quod hoc observandum est; magnam esse differentiam inter delicta Carnis, & inter illa vitia, quæ S. Apostolus vocat opera carnis *ad Galat. 5. vers. 19. & seqq.* per hæc enim non solùm illa delicta quæ carne i. e. con- Definitionis genus.

cubitu committuntur, verùm etiam omnes perversæ nostræ naturæ corruptelæ intelliguntur.

Differentia specifica. XII. Differentia specifica, quâ matrimonium à delictis carnis discernitur consistit in verbis: *concubitus contra leges factus.* Per legem autem hic non solum intelligimus Ius civile, verùm etiam jus naturale & gentium, & per consequens sub definitione nostrâ omnes illicitas comprehendimus conjunctiones, Incestum, Sodomiam &c.

XIII. Talis concubitus illicitus aliàs dicitur Scortatio, sive fornicatio, sed tamen in larga & generali sua significatione, ita ut omnibus delictis Carnis tanquam genus suis speciebus competat, *cap. meretrices. 11. c. 32. quæst. 1v. & cap. non solum. 15. v. 31. quæst. 7.* Benedict. Carpzov. *prax. Crim. part. 2. n. 1.* Notum enim est, quod vocab. *Fornicatio* alias etiam in jure nostro specialiter & strictè sumatur pro concubitu illicito soluti cum soluta. *argm. text. in cap. Lex illa cap. 36. quæst. 1.*

Natura delictorum carnis unde dependet. XIV. Natura delictorum Carnis dependet vel ex qualitatibus personarum delinquentium, vel ex circumstantijs extrinsecus personam afficientibus, ut latius hac de re disseruit Ampliss. & Consultiss. Dn. Præses in Collegio Criminali publico, quando ageret de his delict.

XV. Qualitas autem illa ex quadruplici est genere, *Primò* ex prostitutione publicâ; *Secundò* ex corruptione seu violatione; *Tertiò* ex cohabitatione illegitimâ; *Quartò* ex merâ libidine.

XVI. (1.) Ex prostitutione publicâ oritur FORNICATIO in specie sic dicta (2.) Corruptio quadruplici fit modo: vel enim corrumpitur, seu violatur honesta fœmina, vel fides matrimonialis, vel necessitudo, vel deniq; votum. Ex corruptione honestæ fœminæ oritur STVPRVM: Quando fides matrimonialis violatur, oritur ADVL-

DVLTERIVM, si necessitudo, INCESTVS, si denique votum, SACRILEGIVM. (III) Ex cohabitatione porrò illegitimâ CONCVBINATVS originem trahit. (IV) Ex mera libidine denique profluit SODOMIA.

XVII. Delicta quæ ratione circumstantiarum (quarum mentio facta est thes. XIV.) denominantur, sunt vel duplicis vinculi; vel violentæ de loco ad locum deductionis: Ex illa priori oritur BIGAMIA: Ex posteriori RAPTVS. Quæ delicta ratione circumstantiarum denominantur.

XIIX. Habemus igitur ex hac qualitatum diversitate novem species delictorum carnis. Dd. equidem plures recensent, inter quos est Iulius Clarus, *qui lib. 5. Receptar. Sentent. §. fornicatio n. 5.* novendecim connumerat, quæ tamen non incommodè ad prædictas novem redigi possunt. Prosper. Farinac. *d. delict. Carn. num. 137. & seqq.*

XIX. His ita in genere præmissis, brevibus de singulis speciebus, eâ methodo, quâ diximus, agemus. Et primò quidem de FORNICATIONE in specie sic dicta. Fornicatio autem dicitur à verbo Fornicor, quod est meretricor; quia meretrices in fornicibus, *h. e.* in locis obscuris habitare consueverunt. Menoch. *d. arbitrar. Iud. quæst. cas. 280. num. 5.* Est autem nihil aliud, quàm concubitus illicitus viri soluti cum virgine vidua soluta & meretrice. *cap. lex illa 38. quæst. 1.* Clariss. Benedict. Carpzov. *prax. Crim. p. 2. quæst. 30. num. 1.* Germ. dicitur Gemeine Hurerey. Quâ methodo agatur de delictis carnis. Fornicatio unde dicatur. Quid sit?

XX. Dicimus in definitione (I) *concubitus illicitus*, quæ verba omnibus delictorum carnis speciebus generis loco invenies (II) *Soluti cum soluta*, quod hic latè sumitur, ita ut persona illa non solùm à conjugii, verùm etiam à consanguinitatis, affinitatis & voti vinculo sit soluta, Fariac. *d. q. n. 7.* (III) Additur *cum meretrice*, quæ sese palam prosti- Explicatio definition.

prostituit, Ludovic. Gilhausen *in arbor. Iudic. Crim. cap. 2. tit. 21. num. ult.* Meretrix aliàs scortum vocatur. Notandum autem hic est, quod vocab. Meretrix in Iure, & etiam à Lexiographis variè sumatur: quas omnes significationes hic recensere, ratio instituti nostri non patitur, nec operæ pretium est. Hoc loco autem sumimus pro fœmina vulgari, seu quæ corpus suum passim & vulgariter prostituit, sive quæstum corporis facit.

Effectus fornicationis.

XXI. Effectus hujus fornicationis est, ut liberi inde nati sint spurij, qui aliàs vocantur vulgò concepti. *§. si adversus. 12. Instit. d. Nupt. l. 23. ff. de stat. Hom.* Hi de Iure Civil. omnibus privantur commodis, quæ aliàs sentiunt liberi legitimi: ratio ut scilicet hoc modo parentum intemperantia puniretur, iique amore sobolis redderentur vitæ immaculatæ studiosiores. A quo Iuris Civ. statuto non abludunt quoque sacræ literæ, dum *Deuteron. 23. vers. 2.* spurij expressè prohibentur esse in Ecclesia, & liberos extra matrimonium natos testes paternæ malitiæ vocat Salomon in *lib. sapient. cap. 3. vers. fin.*

Quæstio.

XXII. Quæritur hic: an omni jure fornicatio sit prohibita? Quod de jure Civili Romano negat Iul. Clarus *in pract. §. fornicatio. num. 1. in princip.* Apud Romanos enim hi duo coitus nimirum simplex fornicatio & concubinatus fuerunt impunibiles, & quidem ob hanc rationem politicam, ut scil. adulteria & stupra honestarum fœminarum evitarentur. Ampliss. & Consultiss. Dn. D. Henric. Hahn *in not. ad VVesenbec. ad Leg. Jul. d. Adulter. num. 21.* De Iure autem Canonico utique affirmatur; eo enim jure prohibitus est omnis, præter matrimonialem, coitus *text. in cap. audite. dist. 34. ibi*: fornicari vobis non licet, sufficiant vobis uxores. *junct. c. nubendi 27. quæst. 1. in fin. ibi*: fornicatio nulli impunè conceditur. Qui textus Iuris Canon. sane sunt

plani.

plani. Cæterùm quomodò observati sint sancti illi veterum Canones, hodieque fortè passim observentur, id, cui placet, videre licet apud Dn. Iohan. Gerhard. in loco *d. Eccles. p. 1198.* & *ap.* Balthas. Meisn. *in Consult. d. fid. Luther. capescend. advers. Lessium. p. 144.* Qua de re latius egit Ampl. & Consultiss. Dn. Præses in prælectionibus publicis, cum hanc quæstionem pertractaret. De Iure Divino certè quidem pœna temporalis in fornicatores definita non est, Apostolus tamen Paulus æternæ condemnationis pœnam ijs minatur *1. ad Corinth. 6. vers. 9. & seqq.* & *ad Galat. 5. vers. 19. & seqq. Ad Ephes. 5. vers. 3. & 5.* Et propterea in foro conscientiæ etiam prohibita est sub pœna peccati mortalis. Farinac. *d. Delict. Carn. quæst. 137. num. 12.*

XXIII. Quapropter etiam nemo Christianorum facilè negabit, lupanaria illa, (quæ in nonnullis civitatibus majoribus, majoris nimirum mali evitandi gratiâ tolerari asserunt Menochius & alij) repugnarè justitiæ divinæ; qua de re plura Benedict. Carpz. *in prax. Crim. part. 2. quæst. 70. num. 13.* qui autoritate historicorum nonnullorum ostendit, quòd etiam talium lupanariorum usum improbarint Ethnici: Non enim sunt facienda mala, ut eveniant bona, unde jure positivo in terris Saxonicis hæ scortationes sive fornicationes condignis coercentur pœnis 3. LandR. art. 46. Reformat. Güter Policey Ordnung tit. von leichtfertiger Beywohnung. Constit. Divi Henr. Iulij Ducis Brunsuicens. & Luneburgens. von Ehebruch vnd Hurerey. *de Anno 1593. in fin.*

XXIV. Pœna autem fornicationis hodie est arbitraria, & plerumque imponitur secundum jus statutarium cujuslibet loci: Iudex autem hîc debet esse sollicitus, ut pœna illa qualitati perpetrati delicti sit conformis, rectæque rationi consentanea. Arbitrariæ hujus pœnæ usus

Quæ hodie pœna sit fornicationis.

servatur etiam in Illusti hoc Ducatu Brunsvigo VVulfer-
Et quidem in hoc Ducat. VVulfeibyt. bytan. quod videre est ex Constit. D. Henrici Iulij *de Anno 1593. verb.* Sonsten sol gemeine Hurerey in jedem Gericht nach hergebrachtem Gebrauch/ wofern dabey kein mißbrauch mit vnterleufft/ gestraffet werden.

Qualitas delictorũ unde æstimetur. XXV. Diximus thesi præcedenti, judicem sollicitum esse oportere, ut pœna detur qualitati delicti conformis. Qualitas autem ex circumstantiarum observatione peti potest, an fortè reiterata, vel continuata sit fornicatio &c. qvod etiam verba dictæ Constitutionis hæc volunt: Wann auch der beschwerlichen Vmbstände zuviel zusammen kommen/ oder auch die Hurerey mehrmahls wiederholet würde/ vnd sonst vorgesetzte Straffe keine Frucht schaffen solte/ sollen sie die delinquenten mit Entsetzung ihres Dienstes/ Ampts vnd Ehrenstände/ oder der Thürm/stellung an dem Pranger/ Außklingung mit dem Becken/ Anhengung der Schandsteine vnd Verweisung des Landes/ oder ander schärffer Wege/ die wir nach Gelegenheit beschehener Vbertretung vnd anderer beweglichen ümbstände Vns wollen vorbehalten haben/ gestraffet werden.

Quæ pœna Fornicationis sit Iure Saxon. XXVI. In Electoratu Saxonico hujusmodi mulieribus, quæ se publicè viris prostituunt, meretricium exercent & quæstum faciunt, relegationis pœna definitur Const. *28. part. 4. in princip.* ibi: Wenn mit gemeinen Weibespersonen/ durch die so ledig vnd nicht ehelich sind/ Vnzucht getrieben wird / ob wol die gemeinen Rechte hierinnen keine Straffe verordnet/ dennoch weil in Gottes Wort solche unordentliche Vermischung hart verboten/ so ordnen vnd setzen wir/ daß das gemeine Weib öffentlich verwiesen werden sol 2c.

Secunda delictorũ Carnis species STVPRUM. XXVII. Tantum de Fornicatione. Nunc ad secundam delictorum Carnis speciem, quæ dicitur stuprum, pergimus. *Primò* autem loco hîc notandum venit & quidem ex Au-

ex Ausonio Popma, quòd vox stupri in jure nostro ut & aliàs sumatur dupliciter, præsertim in *Leg. Jul. d. Adult.* (1) largè & in genere pro fornicatione, Adulterio, incestu, Sodomia, similique illicito coitu, ut *l.6.§.1.& l.34. ff. ad Leg. Jul. de Adulter. l. auxilium 37. in fin. ff. d. minoren. l. 101. ff. d. V. S. cap. nemo 32. quæst. 4.* (2) strictè & in specie, ut hoc loco, & tunc stuprum definitur: Quòd sit concubitus illicitus cum virgine, viduáve honestè vivente, German. Schändung/ Schwäch- oder Schwängerung. *§. Item lex Julia de adulteriis 4. Instit. d. publ. Jud l. inter stuprum & Adulterium ff. d. V. S.* Definitio hæc plana est, & ulteriori explicatione non indiget, sufficiat saltem hic illud admonere: requiri, ut persona stuprata fuerit honesta: in hisce verbis enim posita est differentia, quâ discernitur â fornicatione & concubinatu. Prosper. Farinac. *d. delict. Carn. quæst. 47. n. 82. & seqq.*

Duplex vocis significatio.

Definitio stupri in specie sumti.

XXIIX. Stuprum porrò duplex est (1) Voluntarium (2) Involuntarium, sive violentum. Damhauder. *in prax. Crim. cap. 92. num. 3. & seqq.* Voluntarium est quod volenti & parùm reluctanti virgini, vel viduæ infertur. *§. item lex Julia. 4. Inst. d. publ. Jud.* Observandæ sunt hæc definitionis verba *parum reluctanti*, quæ indicant, quòd & illud stuprum voluntarium sit atque dici possit, quando verbi gratia virgo, vel vidua blanditijs, delicijs, persuasionibus, sive spe de futuro matrimonio capta in stuprum consentit. Quod notandum contra Bajard. *in additionib. ad Jul. Clar. lib. 5 sent §. stuprum. num. 38.* & contra Kotschitz *in process. part. 2. c. 5. n. 1.* Qui volunt hoc in casu stuprum tanquam violentum capite esse puniendum: cùm persona stuprum hîc patiens puram habeat electionem & suo arbitrio sit relicta nec quævis persuasio stuprum faciat violentum, sed violenta

Stupri divisio.

Sensus verborum parum reluctantis.

 coactio

coactio fuerit adhibita. ut notavit Excellentiss. Dn. Præses in lectionibus Public. collegij Criminalis.

Varia & diversa stupri pœna.

XXIX. Pœna hujus stupri voluntarij est varia atque diversimoda: Alia enim de Iure Civili, alia de jure Canonico, alia denique de jure statutario.

Pœna Iur. Civil.

XXX. De Iure Civili stupratores, si fuerint personæ honestiores, publicatione dimidiæ partis bonorum, si verò humiles, corporis coercitione plectuntur, *text est in §. Item lex Iulia. de Adulteriis vers. si eâdem lege Iulia. Instit. d. pub. Iud.* Farinac. *d. delict. Carn. quæst. 47. num. 6. Iul. Clar. Receptarum sent. lib. 5. §. stuprum num. 3.* Nec obstat *l. 1. §. 2. d. Extraord. Crim.* Nam illa lex est restringenda ad eum casum, ubi violentia quædam intervenit, Ampliss. Dn. D. Hahn ad *VVesenbec. ad Leg. Iul. d. adult. n. 21.*

Iuris Canonic. pœna.

XXXI. De Iure Cnnonico stuprator stupratam mulierem & dotare, & uxorem recipere tenetur, per text. expressum *cap. 1. Extr. d. adult. & stupr. ibi*: si seduxerit quis virginem nondum desponsatam, dormieritque cum ea, dotabit eam, & habebit uxorem. Prosper. Farinac. *d. quæst. num. 97.* Vbi tamen (1) Observandum, quòd quidem teneatur stuprator stupratam] dotare & in uxorem ducere, sed tamen hâc lege, si nimirum ipsa & pater stupratæ puellæ in matrimonium consenserint; si verò consensum adhibere nolint, non cogantur, sed solummodo dotem stuprator tenetur solvere, quod & ipsum jus divinum nos edocet. *Exod. 22. vers. 16. & text. in dict. cap. 1. X. d. Adulter. vers. si verò pater.* Quanquam Henr. Boich. *in cap. 2. num. 3. X. d. adult.* contrarium vult quòd nimirum, stupratâ [recusante, ducere in virum stupratorem, non teneatur stuprator dotem illi dare. (2) Et illud hîc notandum venit, quòd alij doctores has voces nim. *dotare & in uxorem ducere* intelligere volunt alternativè, ita, quasi stupratori esset liberum, an velit stu-

lit stu-

sit stupratam dotare, an verò in uxorem eam ducere: Cæterùm erroneum hoc est per expressè tradita in *dict. cap. 2. X. d. adulter. & stupr.* Ibi enim textus ferè est ad literam, quòd stuprator, qui stupratam puellam in uxorem ducere non vult, verberibus castigari à judice, prout ei visum fuerit, & excommunicatus in monasterium detrudi debeat ad agendam pœnitentiam. Farinac. *dict. quæst. num. 100.* Neque conjunctio copulativa hoc loco vim suam amittere potest, ut dicit Gregor. de Valent. *Commentar. Theolog. tom. 3. disp. 9. quæst. 9. vers. Secundò qui virginem.*

XXXII. Hîc quæstio occurrit de Clericis & conjugatis stupratoribus, numne illi, cùm non possint stupratam in uxorem ducere, per hoc excusentur à præstatione dotis? Et respondetur quòd non: Vti illud latè ostendit sæpe laudatus Farinac. *d. quæst.* & Henricus Boich. *add. cap. 1. & 2. Extr. d. adult. & stupr.* Quantitatem dotis constituendæ à stupratore puellæ stupratæ, Dd. communiter remittunt arbitrio judicis, qui illam æstimare debet secundum dignitatem & facultatem stupratoris, nec non qualitatem & indigentiam puellæ corruptæ. Ad quod de Iure Saxonic. & hoc accedit, quòd ejusmodi stuprator teneatur infanti dare alimenta, & quidem tam diu donec ex operis proprijs sese alere possit. Nevizan. *in sylv. nuptial. libr. 3. vers. stuprator. n. 25. in fin junct.* Carpzov. *in prax. Crim. p. 2. quæst. 68. n. 140. & seqq.*

Quæstio de Cleric.

XXXIII. Iure statutario stupri pœna ut plurimum solet esse pecuniaria. vulgò vocatur Hurenbrüche / einfach oder gedoppelt. Interdum etiam pœna exilij, aut aliâ arbitrio judicis puniuntur stupratores. Farinac. *d. quæst. num. 114.* In his enim irrogandis circumstantiæ probè sunt observandæ, ut secundùm eas augeantur & minuantur pœnæ.

Pœnæ Iuris Statutarij.

næ, quod etiam vult Constit. D. Henrici Iulij *sub rubr.* von Ehebruch vnd Hurerey ferè in med.

Quæstio. XXXIV. Quæritur hic, *an in illis locis, in quibus statuta nullam pœnam stupro dictitant, Ius Canonicum deroget juri Civili, an verò Ius Civile Canonico.* Alij (quibus assentire videntur Iul. Clar. *lib. 5. Sent. §. stuprum. num. 3.* & Colerus *part. 1. decis. 176. num. 8. & seq.*) putant illam pœnam Iuris Civilis hodie esse correctam, ita ut teneatur stuprator in pœnam stupratam vel dotare, vel in uxorem ducere, quod tamen VVesenbecius *in parat. ad Leg. Iul. d. adulter. n. 21.* negat. Rectiùs videtur sentire Hostiens. *in cap. perven. vers. hoc titulo. 3. sub fin.* qui in ea est opinione, quòd in terris Pontificijs jus canonicum, in terris verò Imperij Ius civile observetur. Et illo in casu commissi stupri à Facultate Iuridica Helmstadiensi ante paucos annos Nobili cuidam propter stuprum publicationem dimidiæ partis bonorum, ad requisitionem Iudicis, juxta *§. 4. Instit. d. publ. Judic.* dictatam esse testatur Amplis. & Consultiss. Dn. D. Hahn in not. ad VVesenbec. *ad Leg. Iul. de Adult. n. 21.*

Stuprum violentum quid? XXXV. Stuprum porrò involuntarium est violenta quædam fœminæ compressio. *germ.* Nothzucht.

Requisitũ stupri violenti. XXXVI. Ad hoc autem ut dici possit violenta, requiritur, ut persona stuprata nullo modo potuerit resistere vi stupratoris, nec domesticos, aut vicinos vociferatione quâdam in auxilium convocare.

Stuprum hoc dupliciter committitur. XXXVII. Committitur autem hoc stuprum duplici modo: *Primò* in fœminam viri potentem; *Secundò* in immaturam puellam.

Stuprum violent. III modis committitur in fœm. viri pot. XXXIIX. In fœminam viri potentem rursus tribus modis committitur: (I) si merâ violentiâ virgo, vel vidua opprimatur (II) si magicis artibus circumventa in voluntatem stupratoris consentiat. (III) Si metu, minis atque armis

mis commota voluntati stupratoris obsequatur, sive consensum præbeat.

XXXIX. Circa quod hæc oritur quæstio: an hæ tres species omnes sint atque dici possint stupra violenta. De prima specie nullum est dubium, cùm violenta coactio hîc fuerit contra omnem consensum adhibita. Neque etiam de secunda; quia talis persona non amplius est relicta suo arbitrio, atque rectæ rationi. Circa tertiam autem speciem dubium oriri potest; an dici possit violenta, an verò voluntaria? Dd. diversæ hac de re sunt opiniones. Nos pro violentâ potiùs habemus, quando videlicet talis metus adest, qui habet eosdem effectus, quos prima species habet. Quæstio.

XL. In immaturam puellam committitur semper uno modo, quòd nimirum subjectum patiens, seu persona stuprata voluntate penitus destituatur, nec facti intelligentiam habeat, aut reniti possit, nisi quatenus tale stuprum cum doloribus sit conjunctum.

XLI. Hodie stupri Involuntarij, sive violenti pœna est ultimum supplicium, & quidem gladij, juxta Constit. Crim. Carol. V. *art. 119. ibi:* So jemand einer unverleumbten Ehefrawen/Wittiben oder Jungfrawen mit Gewalt/ vnd wider jhren Willen jhre Jungfräwliche/ oder Fräwliche Ehre neme/ derselbe übelthäter hat das Leben verwircket/ vnd sol auff Beklagung der benötigten/ in Außführung der Missethat einem Räuber gleich/ mit dem Schwerdt vom Leben zum Tode gerichtet werden. Prosper Farinac. *d. delictis Carn. quæst. 147. n. 33. & seqq.* Item Iul. Clar. *Receptar. sent. l. 5. §. stuprum. n. 9.* quæ pœna etiam secundum communem Dd. opinionem obtinet in adulterio violento, ubi tamen observandum, quòd in hoc casu hæc pœna rectiùs exasperetur, ita, ut corpus detruncatum insuper rotæ affigatur. Ampl. & Consultiss. Dn. D. Henr. Hahn *in not. ad VVesenb. d. l. ad verb. capitale esse.* Violenti stupri quæ sit pœna 1. Ex Constit. Carol.

XLII. De

Quæ ex Iure Civil.

XLII. De Iure Civili quæ pœna constituta sit violentis stupratoribus, illud habetur *in l. 1. §. qui puero. 2. & in §. 4. Instit. d. public. Iud. vers. sed eâdem lege.* Cui porrò & Ius Saxonicum consentit, Landrecht, *art. 13. lib. 2.* in verb. oder Weib/oder Mägde noht/zogen denen sol man die Häubter abschlagen; &c. quod & D. Augustus Elector Saxon. confirmavit in Const. 31. part. 4. ibi: Die gewaltsame Nohtzucht/ so einer an Ehelichen/oder auch ledigen Weibespersonen begehet/wird vermöge gemeiner und Landüblicher Sächsischer Rechte mit dem Schwerdte gestraffet.

Quæ de Iure Sax.

XLIII. Dicta autem pœna hæc omnibus hujus stupri violenti speciebus est communis: Circumstantiæ tamen, quemadmodum in cœteris delictis, possunt eam pœnam modò augere, modò minuere, v. gr. stuprantes puellas infantes, seu valde immaturas acriùs puniri debent, quàm stuprantes virgines jam maturas. Farinac. *d. l. num. 37. & seqq.* si nimirum res, quantum per stupratorem fieri potuit, perfecta est.

XLIV. Vbi & hoc notandum, quòd pœna ordinaria interdum in Extraordinariam mutetur, præsertim si solus conatus, sine effectu fuerit: Exemplum hic nobis suppeditat Iulius Clar. *§. stuprum, num. 19.* Vbi pœnam fustigationis cum perpetua relegatione futori cuidam puellæ quatuor tantùm annorum stuprum inferre conanti in Dicasterio Ienensi dictatam fuisse refert. Pœna enim ordinaria regulariter sequitur delictum consumatum.

Regula.

Regulæ Exceptio.

XLV. Hujus tamen regulæ iterum datur exceptio, præsertim si atrocitas delicti, aut alia causa intervenit, propter quam judex fortè conatum pro perfecto delicto punire debet, uti exemplum est *l. 1. ff. Ad Leg. Pompeiam d. paricid. in fin. ibi:* & præterea qui emit venenum, ut patri daret, quamvis non potuerit dare.

XLVI. De-

XLVI. Deniquè circa stuprum, de quo supra diximus voluntario, ea fortè non incommodè hic adjicitur quæstio: anne etiam persona patiens, sive cui illatum est stuprum, pœnâ aliquâ coerceatur? Bajard. *in addit. ad Jul. Clari lib. 5. Sent. §. stuprum. n. 14. & 23.* putat stupratas mulieres planè esse impunibiles; propterea, quòd in jure nostro pœna hîc non reperiatur expressa. Cæterùm rectius sentit hac de re Salicet. *in l. eum qui duas. num. 2. vers. & hac pœna est communis. C. ad Leg. Iul. d. Adulter.* ubi statuunt, mulierem stupratam stupri quoque teneri; ratio quòd stupro consentiat, & mas non solùm, sed & fœmina stuprum committat. Quæ opinio etiam juri communi conformis videtur; quia in *l. fœdissimam. 20. C. ad Leg. Jul. de Adulter.* expresse dicitur, quòd leges ulciscantur mulierem, quæ sponte passa est stuprum. Quam sententiam fovet etiam Ampliss. & Consultiss. Dn. D. Henr. Hahn *in not. ad VVesenb. ad Leg. Jul. d. Adult. num. 21.*

Quæst. an propter stupr. volunt. puniatur etiam subject. patiens.

XLVII. Aliter autem res sese habet in stupro violento, ibi enim persona patiens, hoc est virgo, vel vidua per vim stuprata, nullam infamiæ maculam incurrit, sed ab omni pœnâ, tam physicâ, quàm morali est absolvenda, ita ut etiam inviolatæ æstimationis permaneat, & quidem propter *textum l. fœdissimam 20. vers. quin etiam. Cod. ad Leg. Jul. d. Adult. l. si uxor. 13. §. si quis plane. 1. sub fin. vers. Cæterum. ff. eod.* Farinac. *d. delict. Carn. quæst. 147. num. 27.* Und mag dieselbe nicht weniger / denn ob solches nicht geschehen / in Jungfräwlichem Schmuck / und mit dem Krantz öffentlich gehen / und nicht als eine geschwächte Dirne oder Huer mit dem Schleier gedecket werden. quod tamen cum grano salis est accipiendum: si enim prægnata est, & prolem pariat, honestatis gratiâ caput instar honestæ fœminæ meritò tegat. Matth. Steph. *ad Const. Carol. art. 119. in fin.*

Pœna quæ sit in stupro violento ratione person. patient.

Stuprum attentatum quid?

XLIIX. Hic ultimo loco pauca de stupro attentato addenda sunt. Est autem stuprum attentatum, quando vir honestam fœminam verbis, promissis, aut præmijs fornicationis causa sollicitat *l. 1. ff. d. Extraord. Crim.* Menoch. *lib. 2. d. arbitrar. Iud. quæst. cas. 360. num. 49.* Quod de cœteris stupri speciebus differt in hoc, quòd stuprum attentatum tantùm maneat in nudâ sollicitatione, reliqua verò copulâ carnali perficiantur. Si enim quis virginem, aut viduam non modo verbis sollicitet, sed etiam actu invitet, non manet attentatio, sed fit conatus, uti inquit Menoch. *dict. loc.* Pœna stupri hujus attentati regulariter est extraordinaria *d. l. sollicitatores 1. ff. d. Extraord. Crim.* Dixi *regulariter*, nam aliàs etiam cum hâc extraordinaria concurrit ordinaria nim. injuriarum, *per §. 1. Inst. d. injur. l. 9. §. 4. l. 15. §. 15. ff. eod.*

Stuprum attentatum quomodo differat à cœter. stupr. specieb.

III. Delictorum Carnis species.

XLIX. Tantum quoque de stupro. Nunc de tertia delictorum Carnis specie, quæ oritur ex violatione fidei conjugalis, & ADVLTERIVM dicitur, paucis agemus. Illud autem à nonnullis Dd. inter quos & VVesenbecius est definitur, quòd sit violatio thori alieni; quam tamen definitionem refutant Bachovius & Ampliss. Dn. D. Hahn quod nimis stricta sit, atque specialis. Ampliss. & Consultiss. Dn. Præses in Collegio Criminali ita definivit: quod sit fidei matrimonialis & thori alieni violatio, dolosâ voluntate per concubitum explendæ libidinis causa facta.

Definitio Adulterij

L. *Primò* dicitur quòd sit *violatio fidei matrimonialis & thori alieni*, in quo forma hujus delicti consistit, & fit, quando vir illicitam cum conjuge alterius consuetudinem habet. Additur (II) *per concubitum*, cùm fides matrimonialis multis alijs modis possit violari, nec tamen committatur adulterium formale. Dicitur (III) *facta dolosa voluntate*: Etenim si dolus absit, pœna etiam cessat. Doli autem suspi-

ſuſpicionem excludit juſtus facti error, ut ſi quis injuſtè repudiatam ignorans duxerit *l. pen ff. h. t.* ſi honeſtam meretricio habitu indutam vitiaverit *arg. l. 15. §. 15. ff. de injur.* Adjicitur denique (IV) *explendæ libidinis causâ.* Qui hujus delicti, ut & reliquorum illicitorum congreſſuum communis finis eſt, quo differt ab injuria, quæ fit animo inferendi injuriam.

LI. Committitur autem hoc delictum, ſecundum communem Dd. opinionem de Iure Canonico ac Divino tribus modis; *Primò* inter virum conjugatum & fœminam nuptam; *Secundò* inter virum ſolutum & fœminam conjugatam; *tertiò* inter virum conjugatum & fœminam ſolutam, Menoch. *conſ. 249.* Ludovicus Gilhauſen *in arbor. Iudic. Crim. cap. 2. tit. 18. num. 16.* Matth. Steph. *in not. ad Conſt. Carol. art. 120. n. 1. 2. 3. & ſeqq.* Secundum jus civile verò adulterium tantùm fit duobus modis. (I) Inter conjugatum & conjugatam (II) inter ſolutum & conjugatam. Si enim conjugatus cum ſoluta rem habet, de Iure Civili non dicitur adulterium, ſed potiùs ſtuprum; quanquam nonnulli Dd. inter quos & Menochius *lib. 2. d. arbitr. jud. quæſt. 7. caſ. 420. num. 105. & ſeq.* contrarium ſtatuunt, quos tamen Bocerus *tract. d. Adult. & Adult. c. 1. num. 20. & ſeqq.* optimè refutat. His ita poſitis, adulterium porrò dividi poteſt in duplicatum & ſimplex: Duplicatum vocatur, quando ab utrinque conjugato hoc delictum committitur; & *Germ.* Oberhurerey: vid. Paul. Matth. VVehner. *pract. obſ. in voc.* Oberhurerey. Simplex autem dicitur, quando (I) inter conjugatum & ſolutam; Et (II) inter ſolutum & conjugatam concubitus committitur.

Adulterium committitur tribus modis.

Diviſio Adult.

LII. Quæritur hic quid ſentiendum ſit de ſponſa, an cum illa quoque committatur adulterium? & reſpondetur: quòd ſic, maximè ſi in matrimonium purè & ſine con-

Q. An & cum ſponſa committatur adulter.

conditione consenserit. per *text. in l.13. §.3 .ff.h.t. ibi:* quia neque matrimonium qualecunque violare permittitur. Addantur Ludovic Gilhausen *in arbor. Iudic. Crimin. cap. 2. num. 7.* Farinac. *d. delict. Carn. quæst. 141. num. 1.* Quòd autem cum hisce Dd. ita statuamus, hæc est ratio, quòd consensus de jure Civili faciat matrimonium perfectum *l. nuptias. 30. ff. d. R. I.* Contrarium tenent Didacus Covarruvias, & ex recentioribus Perez. *prælectionib. in Cod. ad Leg. Iul. d. Adult. 1.3.* quorum tamen opinio manifestò refellitur ex *dict. l.13. §.3.* Accedit quoque his autoritas Iuris Divini, quo sponsa aliena, alteri copiam sui faciens, dicitur adultera, *Deuteron. 22. vers. 24. ibi:* Ideo fornicabuntur filiæ vestræ & sponsæ vestræ adulteræ erunt. Imo eò magis etiam hoc verum est de Iure Canonico, ac totius hodiernis ferè Germaniæ moribus, ubi sponsalia dicuntur; quando quis puellæ purè & simpliciter promittit conjugium. Talia enim sponsalia sive sint de præsenti, sive de futuro verè sunt matrimonium *l.30. ff. d. R. I. junct. dict. l. 13. §.3.* ubi nec spem matrimonij violandam dicitur.

Circa adulter. post ejus definit. & division. duo potissim. sunt notand.

LIII. Circa Adulterium duo potissimum sunt notanda. (I) Accusatio (II) Ejus coercitio, sive pœna. Accusationem quod attinet, notandum de ea hoc est, quòd jure veteri accusandi facultas omnibus fuerit permissa, quod tamen postea fuit mutatum *per l.30. C. ad l. Iul. d. adult.* ubi hoc accusandi jus marito cumprimis conceditur: Ille enim genialis thori Dominus est, & maximam per adulterium patitur injuriam, uti notat VVesenbecius *in parat. ad Leg. Iul. d. Adult. n.1.* Quia autem hoc delictum non solùm maritum tangit, sed totam etiam fœdat familiam, ideò secundariò datur etiam jus accusandi proximis atque necessarijs personis, quas verus dolor ad id impellit *juxta dict. l. 30.* in qua quæ sint personæ illæ necessariæ, exprimitur.

LIV. Ac-

LIV. Accusatio illa duplex est; Civilis & Criminalis. Accusatione civili ad hoc agitur, uti fiat thori & vinculi separatio, & maritus lucretur dotem, atq; donationem antenuptialem *arg. text. in l. 47. ff. solut. matrim.* Et ut fiat ita separatio, rectè agitur: per adulterium enim ipso illo facto in se & suâ naturâ considerato solvitur matrimonium. Siquidem notum est, matrimonium in hoc consistere, ut duo sint in carne una; quando autem illi duo in una carne esse desinunt, illam matrimonij essentiam violari necesse est. Vt autem rite fiat illa separatio magistratus requiritur autoritas, qui posteaquam pars adultera est convicta, ad innocentis petitionem separationem thori permittit. Accusatio duplex.

LV. Effectus illius separationis præcipuus hic est; ut innocenti ad secunda vota transire permittatur, nocenti verò in pœnam omne matrimonium interdicatur. Canonistæ hic personas per divortium separatas omni conjugij spe indistinctè privant. Quia autem per hoc innocenti iniquissima infertur conditio, reformata Ecclesia rectè tenet contrarium, dum parti innocenti, si extra matrimonium vivere non possit, secundas nuptias contrahere permittit. Videatur Fürstl. Braunschw. Kirchenordnung tit. von Eheschéidung des Ehebruchs halber etc. §. Es sol auch. Neque obstat quòd Apostolus Paul. *1. ad Corinth. 7. vers. 11.* prohibeat mulieri separatæ secundas nuptias: ratio quòd ibi non agatur de divortio ex causa adulterij, sed de dimissione ob futilem & levem causam. Vbi tamen hoc notandum venit, quòd facultas transeundi ad secunda vota parti innocenti non competat ipso Iure, sed impetranda ea sit à Iudice competente, Fürstl. Braunschw. Kirchenordn. *jam dict. Tit. ibi*: So ist unser ernster Wille und Meinung / daß hiemit kein geschieden Persohn sich eigen gefallens wiederumb verheirahte / sondern so es deßhalben Beschwerung tragen würde / sol- Effectus separation.

 ches

ches unsern Eherichtern fürbringen und von jhnen deßhalb Bescheides erwarten sollen.

LVI. Hæc de Accusatione Civili. Criminalis illa est, quæ persequitur vindictam, & pœnæ inflictionem. Pœna autem adulterij pro ejus diversitate, diversa quoque est. Primæ speciei, quæ dicitur adulterium duplicatum de Iure Divino pœna est capitalis *Deuter. c. 22. ibi:* si dormierit vir cum uxore alterius, uterque morietur i. e. adulter & adultera. De Iure Civili pœna est ultimum supplicium sive gladij *per text. in l. quamvis 30. C. ad. Leg. Iul. d. Adult. ibi:* sacrilegos nuptiarum gladio puniri oportet. *junct. l. 9. C. eod. & §. 4. Instit. de publ. Iudic.* Quod Iure Codicis ita obtinet & in viro & in fœmina hoc primo modo adulterantibus. De Iure Novell. autem in fœmina hoc ipsum est correctum atque mitigatum: secundùm illud enim adultera verberata in monasterium mittitur juxta *authent. sed hodie. C. dict. tit.* Quam mitigationem tamen nonnulli improbant, quòd in fœminis fœdius sit hoc delictum, quàm maribus, quodque mulieres in vitium illud sint propensiores, quare etiam si non gravior, eadem tamen hîc adesse deberet pœna, ut in prælectionib. publicis collegij Criminalis hic monuit Dn. Præses. Ad jus Civile refert sese Const. Carol. *art. 120.* quæ adulteram pœna gladij suplicio punit, per tradita Petr. Theodoric. *Colleg. Crim. disp. 6. th. 3. lit. L.* De Iure Saxonico pœna itidẽ est gladij, adeò ut hoc in casu locus nõ sit intercessioni conjugis. 2. Landrecht/ *artic. 13.* Fœmina autem virgis cæditur, & in perpetuũ relegatur, ita tamen, ut admittatur intercessio mariti, qui eam à fustigatione publica, cui castigatio surrogatur, liberat. Chilian. König *in proc. tit.* von Ehebruch Coler *decis. 116. n. 3. & aliq. seqq.*

Accusatio Criminal.

Adult. duplic. quæ d. Iur. div. pœna.

Quæ de Iur. Civil.

Item quæ d. Iur. Novissimo.

Et tand. quæ d. Iur. Saxonic.

LVII. Quando autem vir solutus cum fœmina conjugata

Pœna secund gen. adulter.

jugata rem habet, in viro pœna est eadem, quæ primi generis nimirum gladij *per dict. l. 30. C. ad Leg. Iul. d. Adult.* ratio, quòd lex illa non distinguat. Ergo nec hic distinguere nostrum est. In muliere verò adultera pœna est castigatio & in monasterium detrusio. Vbi tamen notandus est Zieritz, qui putat Iure Carolino mutatam esse pœnam mulieris, fustigationem & in monasterium detrusionem, & itidem factam esse capitalem uti illud observavit, Ampl. Dn. D. Hahn *in not. d. tit. n. 19.*

LIIX. Quando denique vir conjugatus cum muliere soluta, congreditur eadem est pœna, quæ aliàs stupratoris, *per l. 6. §. 1. ff. ad Leg. Iul. d. adult. ibi*: sed propriè adulterium in nuptam committitur. Imperator enim Carol. V nihil hic mutavit in *dict. art. 120.* Sed reliquit sub dispositione Iuris Civilis; Ius autem Civile talem concubitum, qui fit inter virum conjugatum & fœminam solutam non pro adulterio, sed pro stupro habet. Menoch. *lib. 2. de arbitrar. Iudic. quæst. cas. 420. n. 106. & seqq. cent. V.* dissentit, statuens jure Civili etiam inter conjugatum & solutam adulterium committi. Quemadmodum autem hic ab uno, ita Heigius ab altero latere nimiùm declinavit: qui putat, concubitum inter conjugatum & solutam ne quidem Iure Canonico adulterium, sed tantùm stuprum vocandum esse, qui tamen à Bocero *tract. d. Adult. & Adulter. c. 1. n. 20.* optimè refutatur. Pœna tertij generis adulter.

LIX. Et tantum de triplici pœna triplicis adulterij. Ad quod & hoc addendum est, quòd pro consuetudinibus locorum, & Iure Statutario varier dicta pœna. Quæ locorum consuetudines & Ius Statutarium probè sunt notanda. In hoc Ducatu Brunsvicens. & Luneburgens. hac in causa observari solet singularis illa Constitutio D. Henrici Iulij von Ehebruch vnd Hurerey de Anno 1593. promulgata. Dn. Quæ pœna sit adulterij ex Consuetudin. seu jur. statutar.

Bene-

Benedict. Carpz. *in prax. Crim.* refert, in Scabinat. Lipsiensi eo in casu, quando solutus rem habuit cum conjugata gladij dictatam fuisse pœnã, tam in fœmina, quàm in mare, quod etiam in multis locis ita observari testatur Ioachim à Beust. *tract. Connub. part. 2. cap. 18.* In viciniæ quadam civitate singularis quædam platea habetur, in quâ ex inveterata consuetudine pœnæ loco per certum tempus commorari tenentur tertij generis adulteri, quæ platea germanicè vocatur die Ehebrecher Strasse.

Quæ pœna adulterij quæ in spõsam committitur.

LX. Illius denique adulterij, quod in sponsam committitur, pœna est arbitraria. In Foro Saxonico hanc pœnam plerumque esse relegationem & fustigationem, videre est ex Const. *Ecclesiast. Elect. Saxon. tit.* von Straffe der Unzucht und des Ehebruchs §. würde aber *ibi*: würde aber auch jemands eines andern Braut ehe dann der Bräutgam beygelegen / wissentlich beschlaffen / so sollen beyde Persohnen zur Staupen geschlagen und des Landes ewig verwiesen werden. rc. De jure Divino est Capitalis, nimirum lapidatio *Deuter. 22. vers. 23. & 24. ibi:* Si puellam virginem desponderit vir, & invenerit aliquis eam in civitate, & concubuerit cum illa, educes utrumque ad portam civitatis & lapidibus obruentur, Puella, quia non clamavit, cum esset in civitate: Vir quia humiliavit uxorem proximi sui.

Pœna interdum tollitur atque minuitur.

LXI. Notandum nunc ulteriùs, quòd non solùm accusatio, sed etiam pœna adulterij interdũ tollatur, vel minuatur. Tollitur pœna præscriptione *per text. in l. mariti 29. §. 6. & 7. l. miles 11. §. 4. ff. ad Leg. Iul. d. adult. & in l. adulter. 5. Cod. eod.* Vbi præscriptionis quinquennij à die Criminis admissi fit mentio, quæ præscriptio hujus loci propria est Benedict. Carpzov. *prax. Crim. part. 2. quæst. 59. num. 7.* Præter hanc autem præscriptionem dantur & duæ aliæ. Bachov. *ad Treutl. volum. 2. disp. 32. th. 2.* quarum una est sexaginta

dierum

dierum utilium, intra quos maritus & parens jure prælationis adulterum accusare possunt. *dict. l. miles 11. §. sexaginta dies. & l. pater sine 30. ff. hoc tit.* Altera quatuor mensium utilium dicitur & datur extraneis, post illas sexaginta dies marito & patri concessas. Verùm per has duas posteriores præscriptionum species tantùm accusatio adulterij tolitur, non verò ipsa pœna. Tres præscriptionis species in adulter.

LXII. Pœna adulterij interdum mitigari potest remissione & receptione conjugis v. gr. si commitatur adulterium, & innocens remittit parti adulteræ delictum & intercedit pro ea, nec non promittit, se velle eum iterum recipere conjugem; eo in casu potest pœna ordinaria mutari in extra ordinariam, & arbitrariam, fustigationem fortè atque relegationem. Si maritus atque maritata cum solutis consuescant, in hisce terris pœna solet esse pecuniaria juxta. Const. D. Henrici Iulij von Ehebruch und Hurerey/ *ibi*: Die Eheweiber und Ehemänner aber/ so mit ledigen Persohnen zuhalten/ wenn die Beleidigte sich mit der Schüldigen wiederümb versöhnen wird/ sollen wilkührlich an Gelde gestraffet werden. Pœna adulterij quomodo mitigatur.

LXIII. Mitigatur etiam ordinaria pœna, si delictum non fuerit consumatum, i. e. quando effectus non est secutus Carpzov. *dict. part. 2. quæst. 61. num. 2. & seq.* Item Farinac. *d. loc. num. 103.*

LXIV. Diximus supra thes. LXI. quòd non solùm pœna, verùm etiam accusatio adulterij interdum tolli possit. Quomodo pœna tollatur, seu mitigetur, jam dictum est. Nunc pauca de eo, quomodo tollatur accusatio. Fit hoc ipsum triplici modo (I) Compensatione (II) Lenocinio (III) Transactione. Continuatio.

LXV. Et *primò* quidem *compensatione* tollitur, si ipse maritus eodem adulterij crimine commaculatus est. *cap.* Accusatio adulterij tollitur triplic. mod. I. compensatione.

Intelleximus 6. Extr. d. adulter. & stupr. & cap. significasti. in fin. d. divort. Paria enim delicta mutuâ compensatione dissolvuntur. *l. 7. ff. de act. rer. amotar. l. 39. ff. solut. matrim.* & periniquum est, virum ab uxore exigere pudicitiam, quam ipse ei non exhibet. Quare si maritus ob adulterium uxoris civiliter agat, & ita separationem thori & lucrum dotis atq; donationis ante nuptialis petat, compensatione adulterij ab ipso quoque commissi repellitur: quæ compensatio à nonnullis malè extenditur ad pœnam corporis afflictivam, dum eam & hac ratione minui putent, ratio, quòd in compensationem non potest deduci jus tertij, hoc in casu Iudicis, *arg. l. 9. C. de Compensat.* ut hoc ipsum monuit Dn. Præses *in prælection. publ. Colleg. Crim.*

LXVI. II. Tollitur accusatio hæc *lenocinio*: lenonem autem hic vocamus eum, qui patitur suam uxorem cum alijs fornicari, sive hoc fiat gratis, sive mercede *l. 2. §. 2. l. 29. §. 2. ff. ad Leg. Jul. d. adult.* Nulla enim, quoad amissionem accusationis, inter eum, qui gratis patitur suam uxorem fornicari, & eum, qui, pretio accepto, uxorem suam prostituit est differentia. *l. cum mulier. 47. ff. solut. matrim.* Quod autem hoc modo tollatur accusatio, hæc est ratio, quòd mariti munus sit, uxorem in officio continere, & ab illicitis dehortari: quod verò, si negligat, & uxorem suæ relinquat libidini, non est, ut conqueratur de injuria contra fidem matrimonialem facta cùm eam nemo sciens & volens patiatur. Neque obstat huic rationi *l. 29. §. 4. ff. ad Leg. Jul. d. adult.* agit enim ibi Vlpian. de puniendis lenonibus, quod satis declarat verbum *plectitur*.

II. Lenocinio.

LXVII. III. *Transactione*, h. e. si maritus transigit aut paciscitur cum uxore sua adultera, aut cum adultero. Sed obstare videtur *l. transigere. 18. C. d. transact.* Ibi enim dicitur, non licere super adulterio transigere. Verum hoc est; quia

III. Transactione.

quia autem contra hanc legem transigendo agit maritus, hæc est ejus pœna, ut tanquam leno jus accusandi ampliùs non habeat. Vbi tamen notandus est Carpzov. qui in *prax. Crim. p. 2. q. 71. n. 3. & seq.* statuit, hodie licere marito transigere super uxoris adulterio, nec propterea eum Lenocinij pœnam incurrere, si scilicet in adulterium uxoris non consenserit, idque propter *Novell. 134. c. 10. vers. adulterum. ibi:* & siquidem intra biennium recipere eam vult vir suus, potestatem ei damus, hoc facere, & copulari ei, nullum periculũ ex hoc metuens, *junct.* Const. Carol. *art. 122. ibi:* So jemand sein Weib zu unehrlichen Wercken williglich gebrauchen lest.

LXIIX. Tantum quoque de Adulterio. Nunc ad quartum Carnis delictum, quod vocatur INCESTVS transeundum. Est autem Incestus nihil aliud, quàm fornicatio inter consanguineos, vel affines, qui matrimonio jungi prohibentur, facta. *Matth. Steph. in not. ad art. 117.* Ord. Crim. Carol. Quartum delictum Carnis INCESTVS.

LXIX. Duplex autem est incestus, vel Iuris gentium, vel Iuris Civilis| Petr. Theodor. *in Collegio Crim. disp. 6. th. 5. lit. C. & F.* Incestus Iuris gentium committitur inter ascendentes & descendentes, v. gr. inter Patrem & filiam, avum & neptem, matrem & filiam, aviam & nepotem, & sic deinceps usque in infinitum, vulgò vocatur Blutschande. Incestus duplex est. Quid sit Incestus Iur. Gent.

LXX. Grande & atrox hoc delictum est, nec dubium, quin illud etiam juri naturæ apertè adversetur, uti illud notat Beat. Horneius *in Theologia sua morali, ad VItum præceptum Decalogi thes. 20. & seqq.* Tales enim concubitus non solùm homines ratione præditi, sed & bruta animalia quædam detestantur & aversantur, uti Seneca in Hyppolit. hisce verbis indigitat:

Feræ quoque ipsæ Veneris evitant nefas,
Generisq; leges inscius servat pudor.

Cum quo conjungendum illud Philosophi, quo tradit, quòd Cameli matres suas nunquam superveniant, sed etiamsi quis cogat, ipsi tamen non patiuntur. Quo pertinet quoq; illud, quod ex Livio refert Iul. Cæs. Scaliger *coment. ad Aristotelis Hist. d. anim. libr. 9.* Gravius autem est hoc delictum adulterio *l. si adulterium. 38. ff. ad Leg. Iul. d. adult.* propterea que in specie dicitur incestus nefarius, eò, quòd ita natura abhorreat, ut ne fari de hoc fas sit, uti loquitur Petr. Theodoric. *in Colleg. Crim. disp. 6. th. 5. ad Lit. C.*

LXXI. Per verba autem illa *inter ascendentes & descendentes* non solùm intelligimus illos, qui ratione *sanguinis* parentum, liberorumque loco habentur *l. 53. & l. fin. de rit. nupt. §. ergo non omnes. Inst. d. nupt.* sive sunt legitimi, sive illegitimi: verùm etiam eos, qui ratione *affinitatis* parentes aut liberi dicuntur *argm. l. fin. ff. d. Condict. sine Caus.* sive illa affinitas sit perfecta, sive imperfecta: Respectu *affinitatis perfectæ* incestus committitur inter vitricum & privignam, inter novercam & privignum, socerum & nurum, socrum & generum: Respectu *affinitatis imperfectæ*, inter filium & concubinam patris.

Affinitas duplex.

LXXII. Pœna illius quem diximus, incestus nefarij ex generali consuetudine est ultimum supplicium non quidem per textus Iuris nostri expressos, sed ex argument. & ratione *legis 38. §. 3. ff. ad Leg. Iul. d. adult.* ubi dicitur delictum hoc gravius esse adulterio; si itaque gravius sit, si non graviori, pari saltem pœnâ, quâ adulterium, plecti debet. Dn. Præses *in notatis Collegij Crimin. Publ.* In quam ultimi supplicij pœnam consentit etiam hic Ius Divinum *Levitic. cap. 20. vers. 11. ibi:* qui dormierit cum noverca sua, & relevaverit ignominiam patris sui, morte moriantur ambo.

Quænam pœna sit incestus Iuris gentium & quid. d. Iur. Civil.

Quæ d. Iur. divin.

Neque

Neque abludit hic Ius Saxonicum, & quidem in specie Constitutio Elector. D. August. *22. in princ. ibi:* So setzen vnd ordenen Wir / wenn vnter rechten natürlichen Eltern vnd Kindern / vnd also vnter denen Persohnen so in auff= vnd nie= dersteigender Lini einander Bluts halber verwant / eine Blut= schande begangen wird / daß uff den Fall beyde Persohnen / Mann vnd auch Weib am Leben mit dem Schwerdt sollen ge= straffet werden. In Ducatu hoc Brunsvig. Luneburgico etiam pœna capitalis constituitur hujusmodi delinquentibus. vid. Constit. Div. Henr. Iulij von Ehebruch vnd Hure= rey *ibi:* Deßgleichen auch alle vnd jede Persohnen / so Blut= schande begangen nach jeder Vnthat Gelegenheit / jedoch am Leben gestraffet werden sollen. Hujus autem pœnæ acerbitas locum tantum habet inter ascendentes & descendentes, qui sanguine sunt conjuncti, non autem inter eos, qui affinitate junguntur: in his enim tanta turpitudo non est quanta in illis, quapropter etiam mitiori pœna sunt afficiendi, quæ plerumque relegatio cum fustigatione esse solet. Ratio differentiæ, quòd hi parentum & liberorum loco saltem sint, non ipsi parentes atque liberi, *juxta §. 6. Instit. d. gradib.* Berlich. *tom. 4. conclus. 35. num. 6. & seqq.*

Et de Iur. Saxon. | 1285

Quæ demũ ex Iure statutar.

Distinguitur pœna.

LXXIII. Incestus Iuris Civilis definitur quòd sit inter collaterales illicitus coitus. Petr. Theodoric. *in Colleg. Crim. disp. 6. thes. 5. lit. F.* Verba definitionis inter *Collaterales* distinguunt illum ab incestu Iuris Gentium, qui inter ascendentes & descendentes, ut dictum fuit, cummittitur. Quemadmodum autem incestus Iuris Gent. ita & hic Iuris Civ. nim. committitur duobus modis (I) Ratione consanguinitatis (II) Ratione affinitatis.

Definitio Incestus Iuris Civ.

Et Incestus Iur. Civil. duob. committitur mod.

LXXIV. Ratione *Consanguinitatis* committitur Incestus de Iure Civili inter Collaterales v. gr. Inter fratrem & sororem, item inter cæteros agnatos & cognatos usque ad

Quomodo ratione cõsanguinitatis committatur Incestus.

 secun-

ſecundum gradum incluſivè in linea æquali: In linea autem inæquali uſque ad tertium incluſivè, intellige ſecundùm computationem Canonicam. Qua de re videatur Ordinat. Eccleſiaſtic. Duc. Brunſvicenſ. & Luneburgens. tit. von Eheſachen §. Brůder vnd Schweſter. item §. Im dritten Glied aber.

Quomodo ratione affinitatis.

LXXV. Ratione porrò *affinitatis* committitur inceſtus inter collaterales, qui videlicet ſibi ſunt fratrum ac ſororum loco in linea æquali. In linea autem inæquali, inter eos qui ſibi loco parentum ſunt. Cæterùm quando diximus inter fratrem & ſororem committi inceſtum Iuris civilis, notandum ad idipſum hoc eſt, quod Didac. Covarruv. *tom.1.p.2.c.6.n.15.* & Arniſ. *d. Repub. c.1.part.11.n.28.* contrarium hic ſtatuant: Scilicet & hunc inceſtum eſſe contra rationem naturalem adeoque ſimiliter Iuris Gentium. Verùm enim verò (pace tantorum virorum dixerim) erroneum hoc eſſe, & toti humano generi injurioſum, ſic oſtenditur; ſi fratrum & ſororum conjunctionem natura abhorreat, & naturalis ratio improbet, ſequitur, quòd totum genus humanum ab initio rerum, ubi frater jungebatur ſorori, contra naturalem rationem, adeoque inceſtu juris Gentium fuerit propagatum. Quod conſequens, qui velit, & poteſt, affirmet. Nos ſimpliciter negamus cum Regnero Sixtin. *d. Regal. lib. 2. cap. 11.* Quæ autem perſonæ illæ ſint, quæ propter affinitatis vinculum matrimonium contrahere non poſſunt, id perſpicuè exprimitur in Ordinat. Eccleſ. Duc. Brunſv. & Luneburgens. cap. Ordnung von Eheſachen *tit.* Perſohnen ſo von wegen der Schwågerſchafft zu ehelichen verboten.

Quæ hujus inceſtus ſit pœna.

LXXVI. Pœna hujus inceſtus in linea collaterali eſt arbitraria. In primo gradu, v. gr. inter ſororem & fratrem plerumque ſolet eſſe fuſtigatio, vel relegatio. In reliquis ratio-

ratione proximitatis modò pœna augetur, modo minuitur, per tradita à Berlich. *thom. 4. conclus. 33.*

LXXVII. Notandum hic quòd pœna Incestus ignorantiâ Iuris interdum tollatur, maximè in fœminis *per l. si adulterium. 38. §. fratres denique verſ. nam & mulieres. ff. ad Leg. Iul. de adulter. & l. regula. 9. in princ. verſ. quod fœminis. ff. d. Iur. & fact. ignorant.* Ignorantiâ interdum tollit pœnam inceſtus.

LXXIIX. Illa autem ignorantia eſt vel Iuris naturalis, vel civilis: prior non excuſat: ratio, quòd ipſa natura homini impreſſerit ejuſmodi commixtionis abſtinentiam. Poſterior veniam meretur; quia Iuris Civil. ſubtilitates juſtè ignorare interdum poſſumus. Quotuplex illa ignorantia.

LXXIX. Vt autem ignorantia hæc excuſationem mereat, tria requiruntur (I) Vt quis doctorum conſilio deſtituatur. (II) Vt Ius Civil. in recta ratione non fundetur. (III) Vt contrahatur ſub figura matrimonij ſine qua nulla ignorantia nec juris, nec facti excuſat ab inceſtu, cum in omnibus reliquis caſibus initium fiat à re illicita. Quæ ejus requiſita.

LXXX. Et hæc de Inceſtu. Sequitur nunc quintum delictum Carnis, quod vocatur SACRILEGIVM, & ex voti violatione oritur. Notandum autem hic quòd vocab. *Sacrilegium* in Iure noſtro & apud Dd. varie ſumatur, Proſper. Farinac. *part. 7. quaſt. 146. num. 1.* Tiber. Decian. *in tract. Crim. lib. 6. cap. 14. num. 1. & ſeqq.* Iul. Clar. *in Pract. §. ſacrilegium.* V. Delictũ Carnis SACRILEGIVM. Varia vocis acceptio.

LXXXI. Sacrilegium generaliter ſumptum committitur triplici modo (I) Circa res mobiles divino cultui conſecratas, veluti calices, patinas quibus in S. Euchariſtiâ utuntur, Item candelabra altari impoſita Chorröcke/ geweihete Altartücher ꝛc. (II) Circa perſonas Deo devotas (III) Circa loci violationem ſive res immobiles. Sacrilegiũ tripliciter committitur.

LXXXII. Primam illam Sacrilegij ſpeciem, quoniam ad noſtram materiam non pertinet, prætcrimus, & ſtatim

Definitio sacrilegii.

tim accedimus ad duas posteriores ex quibus oritur delictum aliquod Garnis. In eo autem sensu sacrilegium, est personæ, quæ Deo castitatem vovit, vel loci sacri per fornicationem violatio.

Quid sacrum hic.

LXXXIII. Per *sacrum* autem hîc intelligimus illud quod Deo dicatum atque consecratum est, *juxta §. sacræ. Inst. de R. Div.* nam aliàs notum est, quòd vocab. *Sacri* interdum abusivè sumatur, pro qualibet alia re vel jure jurando, vel capitis pœna sancita. Quo sensu etiam leges sacræ dicuntur *l. leges. 3. C. d. legib.*

Duæ sacrilegij species.

LXXXIV. Ex nostra definitione duæ species Sacrilegij oriuntur (I) Species ex violatione Personæ (II) ex violatione loci.

Prima species quid.

LXXXV. Prima illa species est personæ, quæ Deo secundùm ritus sacros publicè est initiata, quæque virginitatem & castitatem vovit, fornicatio. Generis loco positum est vocabulum *fornicatio*, per quod illud vinculum virginitatis Deo dicatæ solvitur. Requiritur ad hoc delictum ut persona non solùm Deo castitatem voverit, sed ut rebus mundanis se eximat & cultui divino publico ritu consecretur. germ. Einkleiden.

LXXXVI. Diximus ulterius esse fornicationem *personæ*, ad quod notandum quod nihil intersit, sive persona illa sit mas sive fœmina, quanquam multi in contraria sunt opinione, qui statuunt de sexu fœmineo hoc esse tantùm intelligendum.

Fornicatio hic tribus fit modis.

LXXXVII. Fornicatio autem hæc ratione personarum fit tribus modis (I) inter personas utrinque Deo consecratas, & hoc vocatur duplex Sacrilegium (II) inter masculum Deo consecratum & laicam (III) Inter Laicum & monialem. Hæ duæ ultimæ sacrilegij species vocantur simplices.

LXXXIIX.

LXXXIIX. Hujus delicti pœna ratione circumstantiarum modò est capitalis, modò non. Duplicis sacrilegij pœna in utraque persona tàm agente quàm patiente pœna est capitalis *l. si quis. 5. C. de episcop. & Cler.* ubi capitaliter punitur attentare virginem Sacram, multò magis igitur fornicari. Primi generis pœna quæ sit.

LXXXIX. Secundi hujus Sacrilegij pœna in viro capitalis, monialis autem in aliud monasterium detrudatur, severioremque disciplinam patiatur per *text. in Nov. 123. cap. 43.* In tertia autem specie inter personam sacram sive monachum, & inter Laicam depositionis pœnam locum habere testatur *Novel. 123. cap. 29.*

XC. Altera sacrilegij species est loci Sacri per fornicationem prophanatio, v. gr. quando quis mulierem aliquam in loco sacro carnaliter cognoscit, sive sit virgo monialis sive alia mulier. Farin. *d. delict. carn. q. 146. n. 32.* Per locū sacrum autem hoc loco intelligim⁹ ipsum templum. Pœna hujus delicti in hoc Ducat. capitalis est. Vid. Const. D. Henr. Iul. tit. von Ehebr. vnd Hurerey ferè in med. ibi; Insonderheit aber / wenn solche Hurerey in Klöstern / Kirchen / rc. an Weibes vnd Mannspersonen / daß Schwerdt gebrauchet werden. Altera sacrilegij species & ejus pœna

XCI. Sextum delictum Carnis vocatur Concubinatus, qui ex illicita cohabitatione originem trahit, & est soluti cum soluta citra maritalem affectionem consuetudo, seu habitatio, fornicationis gratiâ inita, german. leichtfertige Beywohnung. Ejusmodi mulieris infamiam honesto vocabulo vestire solent, quando illam vulgò vocant Concubinam, Haußhalterin oder Concubin. Sextum delict. Carnis CONCVBINATVS Quid sit.

XCII. Qualitates hujus delicti præcipuæ hæ sunt. (1) Vt vir cohabitet cum concubina concumbendi, non verò maritalis affectionis gratiâ beyschlaffens halber *l. 1. ff. d. concubin.* quam qualitatem indicant definitionis verba *citra ma-* Concubinatus qualitates.

tra maritalem affectionem. (II) Vt consuetudo illa sit diuturna (quæ diuturnitas simul plures actus fornicationis sub se comprehendit) non autem perpetua *arg. l.1.ff.h.tit. §.1. Institut. d. patr. potest*; quare in definitione nostra non incommodè generis loco ponitur vocab. *Consuetudo.* (III) Vt fœmina illa sit minùs honesta, quo ipso à stupro differt, ut & à matrimonio, nam honore & dignitate concubina multum differt ab uxore, eâque longè inferior est *l.49. §.4 ff. de Legat. 3.* Menoch. *de arbitrar. Iudic. quæst. lib.2. cas.418. num.2.* (IV) Vt consuetudo illa fiat cum persona unica, si enim cum pluribus, tum non est concubinatus, sed in aliud delictum res degenerat.

Concubinatus d. Iur. Civil. permissus fuit.

XCIII. Quod Concubinatus de Iure Civili licita & legitima sit consuetudo, videre est ex *l.3. §.1. & tot. tit. ff. & Cod. d. Concubin. l.5. C. ad Senat. Orfic.* Etiamsi alij Dd. inter quos est Rittershusius *d. diff. I. civ. & Can l.2. c.15.* putant, de Iure Civili non permitti, sed tantum tolerari. Prohibitus autem d. Iur. Novell. Leon. per text. elegant. in Nov. 91.

Prohibetur (I) Iur. Novel. Leon.

XCIV. De Iure Canonico planè est prohibitus *c. nemo. & cap. dicat aliquis. 32. quæst. 4. cap. audite. dist. 34.* Quanquam & hîc quidam sunt qui contrarium statuere conantur, quorum tamen opiniones optimè refutat Amplisſ. Dn. D. Hahn in *not. ad VVesenb. hoc tit. num. 3.*

(II) Iure Canonic.

XCV. Imò & de Iure Divino concubinatus est prohibitus, per text. in *1. Epist.* Pauli *ad Corinth. cap.5. vers.1. cap. 6. vers.9. cap.10. vers.8. & cap.7.* Vbi Apostolus fornicationi solum opponit conjugium, nullam concubinatus faciens mentionem, quâ de re Theologi latiùs agunt.

III. Divino

XCVI. De Iure naturæ res est difficilior an de illo sit permissus an verò prohibitus. Negativam defendere conati sunt Azo *Summ. C. de natur. lib. n.3.* Palæott. *d. spur. c.11.*

n.36.

n.36. & alij ad quotum argumenta respondit Ampliss. Dn. D. Hahn *in not. d. t.*

XCVII. De Iure positivo novissimo deniq; omnis, præter matrimonialem, prohibita est conjunctio; ergo & concubinatus *vid.* Reichs Abscheid zu Augsburg de annis 1530 & 1548 adde Policey Ordnung zu Franckfurt anno 1577. tit. von leichtfertiger Beywohnung. Item sæpe de Const. D. Henrici Iulij von Ehebruch vnd Hurerey. Prohibetur iv & d. jure novissimo atque statutario:

XCIIX. Pœna concubinatus est arbitraria & cuilibet magistratui incũbit, ut observet consuetudinem illius loci in quo vivit & jus dicit. Ita in ijs locis in quibus Ius Saxonicum observatur puniuntur Concubinarij pœna carceris. Imò etiam, si nolunt desistere, relegatione coërcentur, Carpz. *prax. Crim. part. 2. quæst. 7. n. 141.* Apud nos plerumque pœna Ecclesiastica puniuntur, quæ solet esse prohibitio à S. S. Cœna, donec publicè pœnitentiam egerint biß sie öffentlich Kirchenbusse gethan/ quæ pœnitentia pro varietate locorum atque circumstantiarum exasperari vel minui potest. Si autem hac pœnâ ab illo delicto deterreri non possunt, ab ecclesia excommunicantur, Constit. Ecclesiast. D. Henrici Iulij *tit.* Censur oder disciplin der Kirchen. Hæc excommunicatio vulgò dici solet der kleine Bann. Pœna Concubinatus hodie est arbitrar.

XCIX. Sequitur septimum delictum Carnis, quod vocatur SODOMIA, Est autem Sodomia fornicatio contra naturam commissa Germanic. Vnmenschliche / Vnnatürlich fleischliche Vnzucht / Sodomitische Verbrechung / oder Vnkeuschheit. Dixi *contra naturam*: quibus verb. distiguitur hoc delictum à reliquis delictis carnis. Hoc delictum propter atrocitatem B. Horneius *in Theologiâ sua moral. ad VI. Preceptum decalog. thes. 63.* vocat portentosas libidines. Septimum delictum Carnis est SODOMIA.

C. Committitur verò turpissimum hoc deli-

Sodomia committitur triplici modo

ctum triplici modo, juxta Damhudet. *in prax. Crimin. c. 69. num. 4.*

CI. (I) Quando masculus cum masculo venerem exercet. *l. cum vir nubit in fœminam. C. ad Leg. Iul. d. Adult. §. item lex Julia Instit. d. publ. judic.* Ordin. Crim. Carol. V. *art. 116. in verb.* Mann mit Mann. Hujus nefandi delicti etiam in sacris Literis mentio fit apud Paul. *ad Rom. cap. 1. vers. 27. Levit. 18. vers. 22. Levit. 20. vers. 13.* (II) Si mulier abutatur venere cum muliere in eamque libidinem suam exerceat. *l. fœdissimam 20 & ibi Gloss. & Salycet. Cod. ad Leg. Jul. d. Adult.* Ordinat. Crim. Carol. V. *dict. loc. verb.* Weib mit Weib. (III) Quando homo cum bruto se commiscet & venerea exercet. Hæc species Sodomitica est omnium horrendissima. Iacob Menoch. *lib. 2. d. Arbitrar. Iudic. quæst. cent. 3. cas. 286.* Constitut. Crim. Carol. V. *dict. loc.* So ein Mensch mit einem Viehe.

Pœna Sodomiæ juxt. Const. Carolin.

CII. Pœna hujus atrocissimi delicti In Imperio Romano Germanico est, ut delinquentes flammis ultricibus vivi comburantur, atque in cineres redigantur, juxta P. H. O. *dict. loc. verb.* Und man sol sie der gemeinen Gewonheit nach mit dem Fewer vom Leben zum Tode richten.

CIII. Nonnullis in locis alia pœna capitalis ipsis infligitur, quo etiam respiciunt hæc verba *dict. loc.* der gemeinen Gewonheit nach.

CIV. Consuetudine & usu etiam in nonnullis locis receptum est, ut bruta animalia cum quibus Sodomia fuit commissa, igne comburantur. Quod etiam cum legibus Mosaicis convenire videtur, *Levit. 20. vers. 15. ibi*: si quis concumbit cum jumento, morte mulctetur & jumentum quoque interficiatis. Fit (autem hoc non eam ob causam, quod brutũ delictum commiserit, sed ideò, ut criminis memoria prorsus deleatur & homines horrendo & fœdissimo illo crimine deterreantur.

CIII.

CV. Essent quidem & alia de hoc execrando & detestabili crimine explicanda, sed horret juvenilis animus hujusmodi legendo aut pertractando; est enim tam nefandum, ut vel ab ipsis Ethnicis, nedum Christianis tenebris ac silentio meritò damnetur. Si usus exigat plura videri, possunt apud Carpzov. *in prax. Crim. part. 2. quæst. 76. per tot.* Iul. Clar. *lib. 5. sent. §. Sodomia.* & Iacob. Menoch. *de Arbitrar. judic. quæst. lib. 2. cas. 286.*

CVI. Octavum delictum Carnis dicitur BIGAMIA. Est autem BIGAMIA, quando maritus, vel uxor, consorte & socio vitæ adhuc superstite, aliam uxorem aliúmve maritum fornicationis gratia superinducit. germ. Ubelthat oder Laster zwiefacher Ehe Constit. Crim. Carol. V. *art. 121.* Octavum delictum carnis BIGAMIA. Quid sit BIGAMIA.

CVII. Dixi *fornicationis gratia*, unde patet, quod si quis cum duabus personis matrimonium inierit copula tamen carnali non superveniente, non sit verè bigamia.

CIIX. Crimen hoc Bigamiæ prohibitum esse de jure divino, canonico, civili, gentium ac naturali latius demonstrat Iacobus Menochius *d. arbitr. judic. quæst. lib. 2. cent. 5. cas. 420. num. 2. & seqq.* Prosper Farinac. *p. 5. oper. Crim. quæst. 140. num. 1. & seqq.* Quod de jure divino & quidem novi fœderis sit prohibita nullum habet dubium; est enim expressus *text. Matth. cap. 19. vers. 5. & seq. & Marc. 10. 1. ad Corinth. 7.* Prohibitum etiam eam esse de Iur. Civil. atque Canonic. expressi sunt textus in *l. 18. Cod. ad Leg. Iul. d. Adult. in §. 6. Inst. d. nupt. in cap. gaudemus. d. divort. & in c. acceptor d. spon. duc.* Quod & de Iur. naturæ sit prohibita late & erudite deducit Theodor. Beza *in tractat. de Polygam. c. 1.* cum qua conjungi potest Anton. Thesaur. *quæst. forens. libr. 1. quæst. 14. n. 1. & seq.* Item Menoch. *de arbitr. Iudic. quæst. libr. 2. cas. 420. n. 48. & seqq.* Rationes sunt in promptu quod scilicet bigamia seu Omni jure prohibita est Bigamia.

 poly-

polygamia evertat totam naturam societatis maritalis. Etenim cum maritus sit caput illius societatis & dominus uxoris etiam jure naturæ, quomodo quæso potest esse societas, quæ tot habet (in fœminis) capita? quomodo uxor tot maritorum imperijs subjecta fungetur suo officio? (II) Quod Bigamia repugnet fini matrimonij in hoc maxime, quod ratione fœminarum quæ pluribus nubunt, seu plures admittunt, proles sit incerta & ipsa generatio ex commixtione plurium virorum impediatur. Ampliss. Dn. Præses *in notatis Colleg. Crim. publ.*

CIX. Pœna Bigamiæ est capitalis, sive ultimum supplicium Const. Carol. *art. 121.* Quam pœnam etiam in foro Saxonico observari testatur *Const. Elect. 20. part. 4. in princ.* Nach dem in der peinlichen Halßgerichts Ordnung die Straffe des Schwerdts auff den oder die / so bey Leben des Ehegattens wissentlich / daß derselbe noch am Leben / ein ander zur Ehe nimmet / verordnet / vnd dann vnsern Schöppenstüle bißhero auff solche Constitution gesprochen / so lassen wir es auch bey solcher Straffe bleiben / ordnen vnnd setzen / daß dieselbe wieder die Verbrecher in dem Laster der zwiefachen Ehe unnachlessig in vnsern Landen exequiret vnd vollstrecket werden &c. Quod quoque ita obtinet ex Constit. D. Henrici Iulij von Ehebruch vnd Hurerey. *verb.* da eine Persohn / ehe jhr voriger Ehegatte ꝛc.

Nonum delictum Carnis quod RAPTUS vocatur. quid sit Raptus Et agitur de hoc delicto.

CX. Hactenus de Bigamia. Nunc videndum restat de nona & ultima delictorum carnis specie, quæ dicitur Raptus. Est autem Raptus nihil aliud, quàm mulieris honestæ, fornicationis causa, de loco in locum per vim facta abductio germ. gewaltige Entführ- vnd Verunehrung einer unverleumbdeten Jungfrawen / Wittiben oder Ehefrawen. *in l. unic. de rapt. virgin.*

CXI. Definitio est plana, ideoque ulteriori non indiget explicatione. Hoc saltem notandum est, quòd il-

lis verbis: *de loco ad locum abductio*, differat à stupro. In stupro enim sufficit mulierem esse compressam, in hoc autem, videlicet raptû, requiritur de loco in locum violenta deductio. Qui rapiendi actus toto genere diversus est à fornicatione & violenta illa de loco in locum adductio etiam citra carnalem commixtionem fieri potest.

CXII. Pœna raptus est ultimum supplicium, uti apparet ex constitutione Carolina Crim. *art. 118.* cui concordat textus *l. unic. Cod. d. rapt. virg.* ubi etiam dicitur quòd præter hanc pœnam capitalem raptor etiam bona sua amittat. *§. Item Lex Iulia de vi. in fin. Instit. d. publ. judic. l. qui cœlum. 5. §. ult. ff. ad Leg. Iul. d. vi publ.* Pœna raptus.

CXIII. Quæ pœna etiam complices, seu correos hujus criminis, item qui consilio, aut ope ad raptum coadjutores fuerunt, tenet. *l. raptores. C. d. Episcop. & Cleric.* Imò & parentes, qui passi abduci filios pœna deportationis puniuntur. per *text. in d. l. unic. §. penult. C. d. rapt. virgin. junct. Nov. 143. vers. sed parentes etiam, ibi:* sed parentes etiam, si tali consenserint matrimonio deportari præcipimus.


CXIV. Pœna autem hæc cessat (I) in eo, qui meretricem rapuerit, nam hic raptor non est, ideoque non pœna raptus ordinaria, sed extra ordinaria, arbitrio judicis punitur *argum. l. quæ adulterium. 29. Cod. ad Leg. Iul. d. adult. & dict. l. unic. Cod. d. rapt. virg.* Quando cessat pœna Raptus.

CXV. (II) Cessat pœna ordinaria si raptor carnaliter raptam non cognoverit *per dict. l. unic.* (III) Cessat si quis sponsam suam rapiat, ratio, quòd hodiè sponsalia ratione vinculi verum sint matrimonium & raptus non sit modus dissolvendi matrimonij, ne quidem impediendi si prior dissensio transeat postea in consensum, & quod antea displicuit, tandem placere incipiat. Dn. Præs. *in notatis Collegij Crim. publici quando ageret de Rapt.*

CIV. Sunt

CVII. Sunt denique & alij casus in quibus pœna ordinaria in extraordinariam mutari potest, quos omnes hic recensere, instituti nostri ratio non patitur. Vberior in hisce explicandis est Ludovicus Gilhausen *in arbor. Crim. cap. 2. tit. 23. num. 5. & seqq.* Sufficiant itaque hæc pro instituti ratione & Viribus ingenij dixisse de delictis Carnis. Dirigat nos spiritu castitatis & sanctitatis Deus Ter Opt. Max. ut hujusmodi carnis delicta ne quidem animos nostros, multò minus corpora inquinent atque inficiant.

CVm genus arboreum rupto caput exit amictu,
Et vernale melos iterat gens obsita plumis,
Incipiuntque putrem circumdare gramina campum,
Atque redit toti novitas gratissima mundo;
Te vegeto in studiis vivescere flore, SCHADENI,
Cernimus, & mentis præstantia pandere dona,
Dona quibus pectus legum jurisque magistra
Instruxit veneranda Themis doctæque Camœnæ.
Macte Tuis ausis doctas procul exere vires
Concessas animi, Iuris conscende cathedram
Sæpius, hinc Tibi surget honos, hinc fama perennis.



Eximio ac Eruditissimo Dn. Resp. hæc l. mq. apposuit

IVLIVS Hakberg.

F I N I S.